

CAPUT CXXLIX.

Quod conveniens fuit ad consummationem spei, ut nobis forma orandi traderetur a Christo.

Quia igitur ad salutem nostram post fidem etiam spes requiritur, opportunum fuit ut Salvator noster sicut auctor et consummator nobis factus est fidei reserando¹ caelestia sacramenta; ita etiam nos in spem vivam induceret, nobis formam orandi tradens, per quam maxime spes nostra in Deum erigitur, dum ab ipso Deo edocemur quid ab ipso potendum sit. Non enim ad petendum induceret nisi proponeret exaudire: nullusque ab alio petit nisi de quo sperat, et ea ipse petit quae sperat. Sic igitur dum nos docet a Deo aliqua petere, in Deo nos sperare admonet, et quid ab ipso sperare debeamus ostendit per ea quae in oratione dominica continentur, demonstrabimus quicquid ad spem christianorum pertinere potest: scilicet in quo spem ponere debeamus, et propter quam causam, et quae ab eo sperare debeamus. Spes quidem nostra debet esse in Deo, quem etiam orare debemus, secundum illud Psalm. 61, 9: "Sperate in eo," scilicet Deo, "omnis congregatio populi; effundite coram illo," scilicet orando, "corda vestra."

CAPUT CCL.

Causa quare quae speramus, debemus ab ipso Deo orando petere.

Causa autem quare in eo sperandum est haec praecipua est, quia pertinemus ad ipsum sicut effectus ad causam. Nihil autem in vanum operatur, sed propter aliquem finem certum. Pertinet igitur ad unumquodque agens sic effectum producere ut ei non desint per quae possit pervenire ad finem: et inde est quod in his quae naturalibus agentibus fiunt, natura deficere in necessariis non invenitur, sed attribui unicuique generato quae sunt ad consistentiam sui esse, et ad perficiendum operationem qua pertingat ad finem; nisi forte hoc impediatur per defectum agentis, qui sit insufficiens ad haec exhibenda. Agens autem per intellectum non solum in ipsa effectus productione ea confert suo effectui, quae sunt necessaria ad finem

¹ *Al. reservando.*

intentum, sed etiam opere jam perfecto disponit de usu ipsius, qui est operis finis; sicut faber non solum cultellum fabricat, sed etiam disponit de incisione ipsius. Homo autem a Deo est productus ut artificiatum ab artifice: unde dicitur Isai. 64, 8: "Et nunc, Domine, fictor noster es tu, nos vero lutum:" et ideo sicut vas fictile, si sensum haberet, sperare de figulo posset ut bene disponderetur; ita etiam homo debet habere spem de Deo, ut recte gubernetur ab eo: unde dicitur Jer. 18, 6: "Sicut lutum in manu figuli, sic vos, domus Israel, in manu mea."

Haec autem fiducia quam homo habet de Deo, debet esse certissima. Dictum enim est, quod agens a recta sui operis dispositione non recedit nisi propter aliquem ejus defectum. In Deo autem nullos defectus cadere potest neque ignorantia, quia "omnia nuda et aperta sunt oculis ejus," ut dicitur Hebr. 4, 12: neque impotentia, quia: "non est abbreviata manus" ejus "ut salvare non possit," ut dicitur Isa. 59, 1; neque iterum defectus bonae voluntatis, quia "bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum," ut dicitur Thren. 3, 28. Et ideo spes qua aliquis de Deo confidit, sperantem non confundit, ut dicitur Rom. 5.

Est autem considerandum ulterius, quod etsi respectu omnium creaturarum providentia dispositionis invigilet, speciali tamen ratione curam habet de rationalibus; quae scilicet dignitate imaginis ipsius sunt insignitae, et ad eum cognoscendum et amandum possunt pertingere, et suorum actuum dominium habent, ut boni et mali discretionem habentes: unde competit eis fiduciam habere de Deo, non solum ut conserventur in esse secundum conditionem suae naturae, quod competit ceteris creaturis, sed etiam ut recedendo a malo et operando bonum, aliquid promereantur ab ipso: unde in Psal. 35, 7, dicitur: "Homines et jumenta salvabis," in quantum scilicet hominibus simul cum irrationabilibus creaturis confert ea quae pertinent ad subsidium vitae; sed postea subdit: "Fili autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt," quasi speciali quadam cura protecti ab ipso.

Ulterius autem considerare oportet, quod perfectione quacumque accedente, superadditur facultas aliquid faciendi vel adipiscendi; sicut aer illuminatus a sole facultatem habet ut possit esse medium visionis, et aqua calefacta ab igne facultatem habet decoquendi, et hoc sperare posset si sensum haberet. Homini autem supra animae naturam additur perfectio gratiae, per quam efficitur divinae consors naturae, ut dicitur 2 Pet. 1: unde et secundum hoc dicimur regenerari in filios Dei, secundum illud Joan. 1, 12: "Dedit eis potestatem filios Dei fieri." Filii autem effecti convenienter possunt haereditatem sperare,

secundum illud Rom. 8, 17: "Si filii et haeredes." Et ideo secundum hanc spiritualem regenerationem competit homini quamdam altiorem spem de Deo habere, haereditatis scilicet aeternae consequendae, secundum illud 1 Pet. 1, 3: "Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in caelis." Et quia per spiritum adoptionis quem accepimus, clamamus "Abba, pater." ut dicitur Rom. 8, ideo Dominus ut ex hac spe nobis esse orandum ostenderet, suam orationem a Patris invocatione inchoavit dicens, "Pater." Similiter etiam ex hoc quod dicitur, "Pater," praeparatur hominis affectus ad pure orandum, et ad obtinendum quod sperat. Debent etiam filii imitatores parentum existere: unde qui patrem Deum confitetur, debet conari ut Dei imitator existat, vitando scilicet illa quae Deo dissimilem reddunt, et his insistendo quae nos Deo assimilant: unde dicitur Jer. 3, 19: "Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis." "Si ergo (ut Gregorius Nyssenus dicit) ad res mundanas intuitum dirigis, aut humanam gloriam ambis, aut sordes passibilis appetitus: quomodo qui corrupta vivis vita, patrem vocas incorruptibilitatis genitorem?"

CAPUT CCLI.

Quod Deus, a quo orando sperata petimus, debet vocari ab orante Pater noster, et non meus.

Inter alia vero praecipue qui se Dei filium recognoscit, debet in caritate Dominum imitari, secundum illud Ephes. 5, 1: "Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione." Dei autem dilectio non privata est, sed communis ad omnes: diligit enim omnia quae sunt, ut dicitur Sap. 11; et specialiter homines, secundum illud Deut. 33, 3: "Dilexit populos." Et ideo, ut Cyprianus dicit, "publica est nobis et communis oratio; et quando oramus, non pro uno tantum, sed pro populo toto oramus, quia totus populus unum sumus." Pro se igitur orare (ut Chrysostomus dicit) "necessitas cogit, pro altero autem caritas fraternitatis hortatur." Et ideo non dicimus, Pater meus, sed "Pater noster."

Simul etiam considerandum est, quod si spes nostra principaliter divino auxilio innitatur, ad invicem tamen juvamus ut facilius obtineamus quod petimus: unde dicitur 2 Cor. 1, 2: "Eripiet nos adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis;" unde et Jac. 5, 16, dicitur: "Orate pro invicem ut salvemini." Ut enim dicit Ambrosius, "multi minimi, dum congregantur

et unanimes fiunt, fiunt magni;" et multorum preces impossibile est ut non impetrent, secundum illud Matth. 18, 19: "Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in caelis est." Et ideo non singulariter orationem porrigimus, sed quasi ex unanimi consensu dicimus, "Pater noster."

Considerandum est etiam, quod spes nostra est ad Deum per Christum, secundum illud Rom. 5, 1: "Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei." Per ipsum enim qui est unigenitus Dei Filius naturalis, efficitur filii adoptivi: quia, ut dicitur Gal. 4, 4, "misit Deus Filium suum.... ut adoptionem filiorum reciperemus." Tali igitur tenore Deum Patrem profiteri debemus, ut privilegio unigeniti non derogetur: unde Augustinus dicit: "Noli tibi aliquid specialiter vindicare. Solius Christi specialiter est pater, nobis omnibus in communi pater est, quia illum solum genuit, nos creavit. Et ideo dicitur, "Pater noster."

CAPUT CCLII.

Ubi ostenditur Dei patris nostri, quem oramus, potestas ad sperata concedendum, per hoc quod dicitur, Qui es in caelis.

Solet autem contingere spei defectus propter impotentiam ejus a quo auxilium esset sperandum. Non enim sufficit ad spei fiduciam quod ille cui spes innititur, voluntatem habeat adjuvandi, nisi adsit potestas. Satis autem voluntatis divinae promptitudinem ad juvandum exprimimus patrem eum profitendo. Sed ne de excellentia potestatis ejus dubitetur, subditur: "Qui es in caelis." Non enim esse in caelis dicitur sicut a caelis contentus, sed sicut caelos sua virtute comprehendens, secundum illud Eccli. 24, 8: "Gyrum caeli circuii sola;" quinimmo super totam caelorum magnitudinem virtus ejus elevata est, secundum illud Psal. 8, 3: "Elevata est magnificentia tua super caelos, Deus. Et ideo ad spei fiduciam confirmandam, virtutem ejus profiteamur, quae caelos sustinet et transcendit.

Per hoc etiam impedimentum quoddam orationis excluditur. Sunt enim aliqui qui res humanas fatali necessitati siderum subdunt, contra illud quod dicitur Jer. 10, 2: "A signis caeli nolite metuere quae gentes timent." Secundum autem hunc

errorem tollitur orationis fructus: nam si necessitati siderum vita nostra subicitur, non potest circa hoc aliquid immutari. Frustra igitur orando peteremus vel aliqua bona consequi, vel liberari a malis. Ut igitur nec hoc orantium fiduciae obsit, dicimus: "Qui es in caelis,," idest tamquam motor et moderator eorum. Et sic per virtutem caelestium corporum auxilium quod a Deo speramus, impediri non potest.

Sed etiam ad hoc quod oratio sit efficax apud Deum, oportet ut ea petat homo quae dignum est expectare a Deo. Dicitur enim quibusdam, Jac. 4, 3: "Petitis et non accipitis, eo quod male petatis." Illa enim male petuntur quae terrena sapientia suggerit, non caelestis. Et ideo Chrysostomus dicit: "Cum dicimus, "Qui es in caelis,," non Deum ibi concludimus, sed a terra abducitur orantis animus, et excelsis regionibus affigitur."

Est autem et aliud orationis sive fiduciae impedimentum, quod orans habet de Deo: scilicet si putet aliquis humanam vitam a divina providentia esse remotam, secundum quod ex persona impiorum dicitur Job. 22, 14: "Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines caeli perambulat:," et Ezech. 8, 12: "Non videt Dominus nos; dereliquit Dominus terram." Contrarium autem Apostolus Paulus Atheniensibus praedicans ostendit, dicens (Act. 17, 27): "Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur et sumus:," quia scilicet per ipsum nostrum esse conservatur, vita gubernatur, motus dirigitur, secundum illud Sap. 14, 3: "Tua autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat:," intantum quod nec ejus providentiae minima animalia subtrahuntur, secundum illud Matth. 10, 29: "Nonne duo passeresset asse veneunt et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt." Intantum tamen excellentiori modo sub cura divina homines ponuntur, ut horum comparatione dicat Apostolus (1 Cor. 9, 9): "Non est cura Deo de bobus;," non quod omnino eorum curam non habeat; sed quia nec sic eorum curam habet ut hominum, quos punit aut remunerat pro bonis aut malis, et eos ad aeternitatem praeparat: unde et post praemissa verba Dominus subdit: "Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt,," tamquam totum quod est hominis, sit in resurrectione reparandum. Et ex hoc omnis diffidentia a nobis debet excludi: unde et ibidem subdit: "Nolite ergo timere. Multis passeribus pluris estis vos." Et propter hoc, ut supra dictum est, in Psalm. 35, 8, dicitur: "Fili hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt." Et quamvis propter specialem curam omnibus hominibus Deus dicatur propinquus esse, specialissime tamen dicitur esse propinquus bonis qui ei fide et dilectione appropinquare nituntur,

secundum illud Jac. 4, 8: "Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis:," unde in Psal. 144, 18, dicitur: "Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate." Nec solum eis appropinquat, sed etiam eos per gratiam inhabitat, secundum illud Jer. 14, 9: "Tu in nobis es Domine." Et ideo ad sanctorum spem augendam dicitur: "Qui es in caelis,," idest in sanctis, ut Augustinus exponit. Tantum enim, ut ipse dicit, spiritualiter interesse videtur inter justos et peccatores, quantum corporaliter inter caelum et terram. Hujus rei significandae gratia orantes ad orientem convertimur, unde caelum surgit. Ex quo etiam spes sanctis augetur et orandi fiducia non solum ex propinquitate divina, sed etiam ex dignitate quam sunt consecuti a Deo, qui eos per Christum caelos fecit, secundum illud Isa. 51, 16: "Ut plantes caelos, et fundes terram." Qui enim eos caelos fecit, bona eis caelestia non negabit.

CAPUT CCLIII.

Qualia sint quae sunt a Deo speranda; et de ratione spei.

His praemissis, ex quibus homines spem de Deo concipiunt, oportet considerare quae sunt ea quae a Deo sperare debemus. Ubi considerandum est, quod spes desiderium praesupponit: unde ad hoc quod aliquid sit sperandum, primo requiritur quod sit desideratum. Quae enim non desiderantur, sperari non dicuntur, sed timeri vel etiam despici. Secundo oportet quod id quod speratur, possibile esse aestimetur ad consequendum; et hoc spes¹ supra desiderium addit: potest enim homo desiderare etiam ea quae non aestimat se posse adipisci; sed horum spes esse non potest. Tertio requiritur quod id quod sperandum est, sit aliquid arduum: nam ea quae parva sunt, magis despiciuntur quam speremus; vel si ea desideramus, quasi in promptu ea habentes, non videmur ea sperare quasi futura, sed habere quasi praesentia.

Ulterius autem considerandum est, quod arduorum quae quis se sperat adepturum, quaedam aliquis se sperat adipisci per alium, quaedam vero per se ipsum. Inter quae hoc differere videtur, quod ad ea obtinenda quae per se homo consequi sperat, conatum propriae virtutis adhihet: ad ea vero obtinenda quae se ab alio consequi sperat, interponit petitionem: et si quidem ab homine illud se adipisci sperat, vocatur simplex petitio; si autem sperat illud obtinere a Deo, vocatur

Al. et haec spes.

oratio, quae, ut Damascenus dicit, est "petitio decentium a Deo." Non autem ad virtutem spei pertinet spes quam habet aliquis de se ipso, nec etiam quam habet de alio homine, sed solum spes quam habet de Deo: unde dicitur Jerem. 17, 5: "Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum:," et post subditur: "Benedictus homo qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, "Sic igitur ea quae Dominus in sua oratione petenda esse docuit, ostenduntur homini esse considerata possibilia, et tamen ardua; ut ad ea non humana virtute, sed divino auxilio perveniatur.

CAPUT CCLIV.

De prima petitione, in qua docemur desiderare quod cognitio Dei quae est in nobis inchoata, perficiatur; et quod hoc sit possibile.

Oportet igitur considerare desiderii ordinem ex caritate prodeuntem, ut secundum hoc etiam sperandorum et petendorum a Deo ordo accipi possit. Habet autem hoc ordo caritatis ut Deus super omnia diligatur; et ideo primum desiderium nostrum movet caritas ad ea quae sunt Dei. Sed cum desiderium sit boni futuri; Deo autem, secundum quod in se consideratur, nihil in futurum adveniat, sed aeternaliter eodem modo se habeat; desiderium nostrum non potest ferri ad ea quae Dei sunt prout in se ipsis considerantur; ut scilicet Deus aliqua bona obtineat quae non habet. Sic autem ad ipsa fertur nostra dilectio, ut ea tamquam existentia amemus. Potest tamen hoc desiderari de Deo ut in opinione et reverentia omnium magnificetur, qui in se ipso semper magnus existit. Hoc autem non est tamquam impossibile reputandum. Cum enim ad hoc factus¹ sit homo, ut magnitudinem divinam cognoscat; si ad eam percipiendam pervenire non possit, videretur in vanum constitutus esse, contra id quod in Psal. 88, 48, dicitur: "Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?" Esset quoque inane naturae desiderium, quo omnes naturaliter desiderant aliquid cognoscere de divinis: unde nullus est qui Dei cognitione totaliter privetur, secundum illud Job 36, 25: "Omnes homines vident eum." Est tamen hoc arduum, ut omnem facultatem humanam excedat, secundum illud Job 36, 26: "Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram." Unde cognitio divinae magnitudinis et bonitatis hominibus provenire non potest

¹ Al. effectus.

nisi per gratiam revelationis divinae, secundum illud Matth. 11, 27: "Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare." Unde Augustinus super Joannem dicit: "Deum nullus cognoscit, si non se indicat ipse qui novit." Indicat se quippe Deus aliquo modo hominibus naturali quadam cognitione cognoscendum per hoc quod hominibus lumen rationis infundit, et creaturas visibiles condidit, in quibus bonitatis et sapientiae ipsius aliquo modo refulcent vestigia, secundum illud Rom. 1, 19: "Quod notum est Dei," id est quod cognoscibile est de Deo per naturalem rationem, "manifestum est illis," scilicet gentilibus hominibus: "Deus enim illis revelavit," scilicet per lumen rationis, et per creaturas quas condidit unde subdit: "Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et Divinitas." Ista tamen cognitio imperfecta est, quia nec ipsa creatura perfecte¹ ab homine conspici potest, et etiam creatura deficit a perfecta Dei repraesentatione, quia virtus hujus causae in infinitum excedit effectum: unde dicitur Job 11, 7: "Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?" et Job 36, 25, postquam dixit: "Omnes homines vident eum:," subdit: "Unusquisque intuetur procul."

Ex hujus autem cognitionis imperfectione consecutum est ut homines a veritate discedentes diversimode circa cognitionem Dei errarent, intantum quod sicut Apostolus dicit Roman. 1, 21, "quidam evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium." Et ideo ut ab hoc errore homines Deus revocaret, expressius notitiam suam hominibus dedit in veteri lege, per quam homines ad cultum unius Dei revocantur, secundum illud Deuter. 6, 4: "Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est." Sed haec de Deo cognitio erat figurarum obscuritatibus implicita, et infra unius Judaicae gentis terminos clausa, secundum illud Psalm. 75, 1: "Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus." Ut ergo toti humano generi vera Dei cognitio proveniret, Verbum suae virtutis unigenitum Deus Pater misit in mundum, ut per eum totus mundus ad veram cognitionem divini nominis perveniret: et hoc quidem ipse Dominus facere inchoavit in suis discipulis, secundum illud Joan. 17, 6: "Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo." Nec in hoc terminabatur ejus intentio ut illi soli Deitatis haberent notitiam, sed ut per eos divulgaretur

¹ Al. perfecta.